

agnovit, IX. Reg. XII. festucam in oculo divitis vidit, trabem in oculo suo non vidit. Laborabant Scribæ et Pharisæi, qui in muliere deprehenderunt adulterium; in seipsis vero peccata sua non viderunt, quibus proinde Dominus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, Joan. VIII. ubi accusatores condemnavit, accusatam absolvit.

V. Pharisæus depromit et recenset suam justitiam, jactans opera sua: *Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo, et hoc ipso perdit ea*. Unde S. Gregorius, XXIX. mor. c. XVII. « Pharisæus, inquit, civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra perjejunium et eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est; » et hom. VII. in Ezech. « Pharisæus, qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit; quasi pene per circuitum suæ civitatis custodia vigilavit. Sed quia unum in se foramen superbiæ non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. » Contingit huic Pharisæo, quod glorioso cuidam militi Helveto, dicto Winchelriedo, qui ob cædem factam, exul a patria, draconem qui vicinam ad pagum, hoc est *Transylvaniam*, appellatum, novas accolæ infestabat, se perempturum professus, si in patriam reciperetur, belluam quidem interfecit: sed cum in applausum victoriæ gladium eruentum extulisset, sanguis draconis gladio adhærens in brachium ejus defluxit, et violento suo contactu triumphatorem necavit. Refert Stumpsius, in chron. Helv. Quid profuit huic victoria, quem eror victi interemit, vitæque simul et patria exiit? Quid Pharisæo jejunium et decimatio, quem gloria inde captata omni mercede spoliavit? Sapientius ergo Publicanus non suas exposuit eleemosynas et similia opera laude digna, (quibus utique non omnino caruit) sed delicta sua; sicque triumphavit. Viator, per infestam latronibus silvam, non induit vestes splendidas, sed laceras et detritas, ne ornatu suo prædonum unguis in se concitet. Gallina, quæ liberaliore cantu ova sua prodit, amittit: e contra struthio ova sua in scrobe sub arena condit; eaque paulum digressus, prorsus obliviscitur, nec tamen ideo pereunt ova, quinimo solis calore tepefacta fovet et excludit illa, Plin. I. XVI. c. I. S. Greg. in c. XX. Job. VIII. Isidor. I. XII. Sic virtutum opera caute abscondenda, et ab operantibus oblivioni danda sunt, nec tamen ideo peribunt, quinimo, cælestibus radiis fota et calefacta, ampliores fructus gignent: eo videlicet tempore, quo carne exuta, corporeque fracto, veluti rupta

testa, ante divini judicis conspectum sunt proditura: *Humilitas*, enim, teste D. Basilio, in constit. monast. c. XVII. *tutissimus est omnium virtutum thesaurus*, dum custodit virtutes et a rapacibus cæli volucris defendit. Neque solum Publicanus tacet bona opera sua, sed producit eorum vice peccata sua: *Deus propitius esto mihi peccatori*, q. d. fateor, quia peccator sum, sed misericordiam imploro. Unde Arabicus vertit: *Parce mihi, quia peccator sum*. Leprosi in veteri lege clamare debebant se immundos esse. Hoc facit Publicanus, secundum animam se immundum clamans. Atque hæc est optima ad cælum via: *Si se homo semper accuset*, ut dicebat anachoreta quidam apud Dorotheum, doct. VII. teste etiam Sancto Augustino, sent. CXVIII. *Melior est in malis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio*.

Vos jam, auditores, judicate utri ex his duobus cursoribus palma deferenda sit, superbo Pharisæo, an humili Publicano.

CONCIO II.

INHONORANTES CERTO MODO TEMPLA, CÆCI ET CLAUDI MERITO DICUNTUR.

I. Cæci sunt. — II. Claudii sunt.

THEMA.

Duo homines ascenderunt in templum. Luc. XVIII.

Proverbio olim dictum fuit, seu apud Judæos, seu apud Jebusæos: *Cæcus et claudus non intrabunt templum*, uti legimus, II. Reg. V. Et videtur dictum hoc non carere fundamento: cæci enim templum difficulter invenire, claudi vero difficulter adire possunt. Morali sensu hoc proverbium possumus exponere, si dicamus eos, qui vel cæci sunt, non agnoscentes sua peccata, cum sint peccatores, vel claudi sunt, agnoscentes quidem peccata sua, sed non detestantes, ingredi in templum minime debere; quia domus Dei est, adeoque piorum tantum, non impiorum receptaculum. Quo jure igitur, dicit aliquis, ascenderunt in templum duo illi peccatores in hodierno evangelio, Pharisæus et Publicanus? Pharisæus enim, etsi pedes habuit operum bonorum, cæcus tamen fuit, quia ea sibi non Deo attribuit: Publicanus vero, etsi oculos habuit, quibus se agnovit esse peccatorem, pedibus tamen caruit operum bonorum. Ad hoc respondemus, Publicanum quidem claudum ascendisse, sed in ipso templo, dum se humiliter accusavit, erectum in pedes fuisse: Pharisæum vero, dum sibi velut

cæcus arrogavit opera sua, etiam claudum evasisse, omnique opere bono destitutum fuisse. Itaque Publicanus, juxta id proverbium, dignus ingressu templi fuit, quia jam neque cæcus neque claudus fuit: Pharisæus vero indignus, quia, cæcus cum esset, etiam claudus effectus est. Tales igitur nos e templo excludemus, h. e. templo Dei indignos ostendemus in hodierna concione.

I. Cæci esse videntur primo, qui fere toto anno vix semel aut iterum veniunt ad templum, quique, eo præterito, eunt potius ad nundinas, ad ludos, ad popinas, ad prata aut agros. Quid enim de his videtur vobis? Nonne videntur isti templum non videre, adeoque cæci esse? Certe Spiritus sanctus satis augusta templa Ecclesiæ providit, eminentiora super alias ædes, ut omnibus essent conspicua; et tamen adhuc aliqui non videntur ea cernere. Quid enim diceret de illo, qui filium inducturus in acum, a foramine ejus crebro aberraret? Nonne cæcutientem judicare? Hoc autem videre est in plurimis, qui dum ad templum eundum est, abeunt ambulatum, aucupatum, piscatum, lusum, potatum, mercatum. Sunt revera tales cæci, saltem corde, ut qui lucem fugiunt, quam in templo reperirent; sed quia tenebras amant velut male agentes: *Ideo non veniunt ad lucem*, uti ait Dominus, Joan. III. testem adduco S. Ambrosium, qui sermonem suum primum ita inchoat: « Libenter nos prædicare et gratanter opus Dei facere manifestum est. Sed cum videmus plures e fratribus pigrius ad ecclesiam convenire, et dominicis præcipue diebus minime cælestibus interesse mysteriis, prædicamus inviti: non quod nos pigeat loqui, sed quia negligentiores prædicatio nostra gravet potius, non emendet. Ideo inviti loquimur, et tacere non possumus. Prædicatio enim nostra in plebe aut regnum operatur aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quisquis enim frater dominicis non interest sacramentis, necessario apud Deum castrorum desertor est divinarum. Nam quomodo se accusare potest, qui sacramentorum die prandium sibi domi præparans, prandium cæleste contemnit, et ventris curam faciens, animæ suæ negliget medicinam? » Ita Ambrosius. Scimus Christum a Christianis majorem exigere justitiam et perfectionem, quam exegerit a Judæis; et tamen illi ex lege sua ter in anno tenebantur ascendere Jerosolymam; quot iter remotiores intra tres, quatuor, vel quinque dies vix conficiebant; præter hoc etiam singulis sabbatis in synagogas suas ad rem divinam conveniebant. Nos templa passim ad manum quasi et in vicinia habemus, et adire molestum dicimus? Viderint porro illi etiam, qui cum Je-

roboamo alibi vitulos erigunt, ut socios vel subditos a templo Dei abducant, ne similem interitum cum ipso sortiantur. Porro cæci isti non a templo, quod per se fugiunt, arcendi, sed ad illud invitandi, imo trahendi et compellendi sunt, ne excludantur e templo Dei cælesti.

Secundo, qui cum fastu et histrionico vel meretricio ornatu ad templum ascendunt. Videntur enim isti plane quorsum eant minime videre, adeoque cæci esse. Eunt siquidem ad Christum crucifixum, magistrum et amatorem omnis humilitatis, hostem capitalem omnis superbiæ. Qua fronte igitur tales coram eo apparere audent? Quam enim sedulo cavent aulici, ne coram rege suo appareant peregrino vestitu qui regi exosus est? Itaque videntur isti sibi non ad Christum, sed ad amasios et amasias suas ire. Ita enim eos alloquitur S. Chrysost. hom. VIII. in IV. ad Timoth. « Quid dicis? Deum precatura pergis, et ornamenta aurea circumfers, flavosque crines, et ipsos auro compositos? An vero saltaturæ ad ecclesiam pergis? Numquid hic nuptias et lasciviæ oblectamenta conquiris? Num ut tui spectaculum præbeas? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempe monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic pretiosa vestis locum aliquando fortassis habeat. At vero nunc nullo tibi hujusmodi ornatu atque apparatu opus. Accessisti ut Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris, etc. » Quare S. Antonius archiep. Florent. *Sæpe feminas impudico et meretricio habitu, quasi instrumenta dæmonum ad pertrahendas et in venerem alliciendas animas, effugavit. Juvenes qui spectatum venerant, quantacumque nobilitate et gratia pollerent, castigatos verbis acriter extrusit*. Ita in ejus vita Vinc. Mainardus. Cæci erant isti secundum animam; jure igitur e templo ab episcopo expulsi. Perspicaciores oculos habuit S. Elisabetha, quæ dum e sponsi, Ludovici Landgrav. Thuring. domo educeretur, et a sponsi matre Sophia ad templum duceretur, ingressa templum, coronam confestim deponebat, atque tamdiu inglorium verticem ostendere perseverabat, quoad ritu sacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cum Sophiæ, velut temere factum, vehementer displiceret, percontanti causam ita respondit Elisabetha: « Absit a me tanta procul impietas, ut ibi caput meum turrito fastu micantis coronæ superbiat, ubi caput Salvatoris mei spinis coronatum acerbè compungitur. » Ita Jac. Montanus, in vita.

Tertio, qui in templo indecenter sese gerunt. Non videntur etiam isti scire ubi sint, an in domo Dei, an in aliqua profana; adeoque velut cæci ibi commorantur. Tales sunt imprimis qui de re-

bus profanis in templo colloquuntur, de quibus S. Chrysost. hom. XXXVIII. in I. ad Cor. ait: « Multi pergunt ad templum Domini, non ut orent, sed ut negotientur, ut civiliū domesticorumque negotiorum sermones faciant: unde cætera omnia facilius in ecclesia deprehendas, quam ecclesiam ipsam, » q. d. isti nesciunt se in ecclesia esse. Non aliter D. Basilius, in Psal. XXVIII. ad ea verba: *In templo ejus omnes dicent gloriam*: ait enim: « Qui in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscœnis rebus disertos sermones pronuntiet, sed in templo ejus quisque dicet gloriam. Assistunt verba describentes angeli, adest et Dominus, affectus intrantium considerans. Preces cujuslibet manifestæ sunt. » At vero profani illi, velut excæcati, præsentissimum sibi in templo Deum minime considerant; alioquin coram eo talia loqui non auderent. Putant igitur isti se in foro, non in templo esse.

Tales, qui in templo impudicos oculos undique circumferunt; et per hoc videntur insinuare se in lupanari potius quam in templo esse. Ita enim scribit Divus Chrysostomus, orat. de non contemnenda ecclesia, tom. V. « Quid agis, o homo? In ecclesia stans, formas mulierum curiose contemplaris? Lupanar tibi videtur esse ecclesia et foro ipso dispiciabilior? Nam in foro quidem metuis et erubescis videri mulierem curiose contemplari: in templo vero Dei, ipso tecum loquente, de quo his comminante, talia audes in ipso tempore, quo audis hæc facienda non esse? Præstaret hujusmodi oculos cæcos esse, quam ad hos usus accommodari, etc. »

Tales, qui sub re divina ad somnum se componunt; videntur enim sibi in cubiculo vel lecto suo, non in templo esse. Non tulit B. Constabilis abbas Gavensis, ut Dauferius diaconus in ipsius sepulcrum, dum in templo commoraretur inter sacra, brachio innixus obdormisceret, sed dormienti apparens dixit: *Quare de sepulcro meo facis grabbatum?* Qui timore quidem correptus, paulo post tamen sui oblitus iterum ibi obdormiit, iterumque a beato audivit: *Nonne tibi prohibui, ut de sepulcro meo non faceres tibi grabbatum?* Qui timore perterritus a somno surgens, brachium suum adeo contractum sensit, ut nullo modo ipsum seu plicare seu extendere posset; precibus tamen beati rursus sanatus est, apud Sur. 16. febr. Jam si beatus hic non tulit, ut ipsius sepulcrum pro lecto aut fulcro etiam alteri serviret, qua ratione feret Deus ut ipsius habitaculum convertatur in dormitorium? Tales, qui incomposito corporis habitu vel situ ibi morantur, sub re divina sedent, ad orandum membra non decenti

forma componunt: quod sane taxat Tertull. l. de orat. « Contra Scripturam, inquit, fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit: siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem maxime reverearis ac venereris; quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationi adstante? Factum hoc istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod oratio nos fatigaverit. » Sic ille. Quod saltem observandum videtur tempore s. missæ; et universim observavit S. Martinus episcopus, qui in templo nunquam sedere visus est. Nihilominus cæci forent, qui in templo circulos agere aut obambulare vellent ad forensia negotia tractanda, quasi in foro essent; quod in primis prohibet Concilium Tridentinum, sess. XXII de reform. Tales, qui et mentem libere nimis in templo distractam habent et alibi vagantem. Videntur enim et isti nescire ubi sint, qui propterea a sacerdote submissa admonentur illa voce: *Sursum corda*, cujus loco S. Basilius, in sua liturgia habet: *Vos mentes vestræ?* S. Greg. Nazianz. *Ubi corda vestra?* Cui verbo respondet populus: *Habemus ad Dominum*. Vult ea voce Ecclesia nos excitare et animos nostros, ut se colligant et cogitent ubi locorum sint, num in horreis aut vineis aut in thesauris suis; denique, ut sciant se cum Deo nunc agere.

II. Claudii esse videntur primo, qui sero nimis veniunt ad officia divina, cum aliorumurbatione et verbi Dei neglectu. Graviter hoc notat S. Chrys. hom. XXXI. in Matth. ita loquens: « Communis officio et ecclesia omnium est, quam vos priores, posteriores intramus tuorum formam et exemplum observantes; atque ideo communiter omnibus festim cum intraverimus, pacem secundum illam legem offerimus. Nemo ergo desidia veniendi studio supersedeat, nemo sæcularibus suspensum animum rebus habeat, cum jam ad prædicandum sacerdotes intraverint: non enim parva imminet punitio. » Magnam semper laudem, quin et prærogativam, obtinuit promptitudo ad bene operandum. Ita enim Joan. V. legimus illum dumtaxat in piscina fuisse sanatum, qui post motionem aquæ primus in eam descendit. Et quia paralyticus ille, qui triginta octo annis ad piscinam illam jacuit (ut sentit D. Chrys. hom. XXXV. in Joan.) utique primus omnium, etsi non in aquam, quod non potuit debilis, ad locum tamen illum, ubi jacebat multitudo languentium, venit, ita ut ante ipsum ex omni illa multitudine nemo illuc descenderit, ideo merito solus præ omnibus a Christo sanatus est. Scimus etiam ex vita S. Nicolai, eo tempore, quo agebatur de electione episcopi Myren-

sis, divinitus vulgatum oraculum, eum eligendum esse in episcopum, qui mane primus in ecclesiam venisset. Ita nimirum Deo supra omnes placent, qui ad Dei obsequium et parandam salutem suam celeres et expediti, adeoque inter primos sunt. Scimus e contra postremos agminis Israelitici, qui lassi residebant, cæcos fuisse ab Amalec, Deut. XXV. Qui enim postremi ad bene agendum veniunt, tepidos se produnt in amore Dei, adeoque debiles et ad lapsum faciles: uti e contra qui primi sunt, fervidos se ostendunt adeoque constantes in proposito virtutis.

Secundo, qui cum gravi aliquo peccato, necdum retractat, ad templum ascendunt. Pes curvus, seu claudicans, affectus a Deo adversus et distortus est: uti enim corpus pedibus, ita mens affectibus quo vult defertur. Qua vero fronte in domum et conspectum Dei veniat, qui hostilia in eum arma secum gerit? Quomodo impuritas coram ipso puritatis fonte apparere audeat? *Quomodo post consuetudinem cum scortis*, inquit D. Chrys. de libello repudii, tom. IV. *in ecclesiam venire poteris? Quomodo manus, quibus scortum contrectasti, in calum extendere audebis?* Certe Deut. XXXII. præcepit Deus ne filius ex scorto natus ingrederetur in ecclesiam Domini; quod aliqui ad litteram de tabernaculo et templo intelligunt, uti Theodoretus, Olympiod. et Dyon. Carthus. alii de jure civilitatis: sed quidquid de hoc sit, mystico certe sensu indicavit Deus nequaquam decere ut impuri et graves peccatores, necdum pœnitentes, appareant in ejus domo. cum spurcitiis suis. Unde Clem. Alexandrinus, in adhort. ad gentes, ita explicat: « Significat eum, qui pro uno solo, qui est Deus, multos sibi falso nomine adscribit deos: sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres, propter veri patris ignorantiam. » Et vere, qui variis se peccatis contaminat, aliud non agit, quam quod tot sibi deos proculdit, quot creaturis adhæret præ ipso creatore: spurcius igitur est, adeoque e templo arcendus. Quid, quod etiam Athenienses prohibuere meretrices et adulteras a fanorum suorum ingressu? uti refert Lactant. l. I. c. XX. Si impura idolorum templa impuras exclusere feminas, sanctissimum Dei veri templum admittat sceleratos? D. Chrys. hom. LXXIV. in Matth. aliud hoc non esse asserit, quam si quis foetidum cadaver inferat in aulam regiam. « Quomodo, inquit, cum tantis sordibus refertus male intus oleas, in ecclesiam et templa sancta venire audes? Nam si quis mortuum in regiam obruerit, is ultima supplicia luet: cogita tu quam acerba pœna vexaberis, qui atria hæc

adire sancta et obscœno fœtore implere non erubescis? Imitare meretricem illam, quæ pretioso Christi pedes unxit unguento, et bono totam replevit domum odore, cujus tu contrarium in hac domo facis. » Sic ille. Quinetiam imitare Publicanum hodiernum, qui, etsi cum peccatis intravit in templum, pœnitens tamen intravit: quæ fac et tu peccator.

Tertio, qui finem rei divinæ expectare nolunt, sed ocios se propriunt, non accepta dimissione et sacerdotis benedictione. Claudos appellare possum istos, qui uno quidem pede bene ad templum veniunt, altero vero male iterum recedunt, et ita viam suam in fine corrumpunt: quia finis coronat opus. Non frustra sculpsit Salomon in ostiis templi sui cherubim et palmas; quia cherubim, ut exponit ven. Bēda, significant justos, qui in Dei Ecclesia degunt: palmæ vero perseverantiam eorundem in bono, quæ sola palmam fert et coronam; quemadmodum et benedictio fidelibus non datur nisi in fine s. missæ, indicans benedictionem illam, quam ad finem mundi impertiet suis Christus: *Venite benedicti Patris mei*. Certe Saul perdidit regnum, quia præstitutum sibi a Samuele terminum adventus ejus non expectavit, I. Reg. XIII. De qua re S. Gregorius in eum locum: « Ecce, inquit, quam magna perdidit qui, ut putabat, nulla contempsit. Ecce septem diebus prophetam sustinuit, sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. Unde et per prophetam dicitur: *Væ his qui perdidit sustinentiam*, Eccl. II. *Sustinentiam quidem perdunt qui bona quæ inchoant non consummant*. Quibus nimirum væ esse dicitur, quia non solum incepti laboris mercedem perdunt; sed etiam apostatatus sui pœna feriuntur. Pœna autem superbi et inobedientis regis declaratur: Quod si non fecisses, præparasset jam Dominus regnum tuum. » Sic ille. Scimus mercedem operariis vineæ non fuisse numeratam, nisi cum sero factum esset, Matth. XX. cum operarii in vinea ad finem usque diei labores produxerunt. Scimus denique Christum duodennem ad exemplum nostrum, etiam ultra præstitutum terminum Jerosolymis remansisse et in templo perstitisse, ut nobis non difficile esset præstolari saltem finem. Sequamur igitur doctorem nostrum discipuli, ut ab ipso aliquando audiamus: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis regnum*, Luc. XXII.